

Konrad Grebel¹⁾ an Vadian.

Basel. 1521. December 2.

Abreise Kratanders nach Frankfurt. Sein Aufenthalt im Hause Kratanders mit Ursinus. Ausgaben für den Haushalt und Geldnot. Missverhältnis zu seinem Vater und seinen übrigen Angehörigen. Bitte um Besorgung von Haushaltsgegenständen.

Salve, o et praesidium et dulce decus meum²⁾. Literas tuas serius accepi, quam ut Cratandro exhiberi possent. Iam enim mercatoribus tuis duobus diebus praeverterat^{a)}, Francofurdium petiturus. De me: Cratandre coepulones adhuc sumus Ursinus et ego. Quid soluturi simus, non intelligo; tamen — si conicere licebit — viginti quattuor aureis nummis (laute enim vivimus) ultro expendis, illi satisfaciemus. Deinde viginti aureis non facile educavero heram meam et affectus illos, quos toties tibi inculco, qui me, an beent, perdantve, nondum diiudicari^{b)} temere. Suppelletillem comparavimus aliquot nec paucis aureis; centum francos dedit Guilielmus, quadraginta parens. Nunc vide, quantę expensę, quanti sumptus sint, utroque privatim victum habente, et considera^{c)}, quam non possint sufficere ab illo et ab hoc donatę datęque pecunię. Parentem ais rogandum, ut ministret, ubi opus erit; at ille interim de stipendio perdiscet, nihil erogabit et ad hoc in amantem debacchabitur eaque denique, quę praeter tum opinionem, tum expectationem nostram erunt, committet, quamvis omnia facilius laturum sit spes, quando mearum querelarum meique adeo acerbi vel si mavis perpetui doloris historiam^{d)} omnem (vix sic me eo persuadente, atque id placato et hilari vultu) percensuerim. Quo quidem audito non difficilem futurum se ostendebat, si in commodum sollicitandę augendęque Veneris scortum nutriturus forem. Utcunque intellecturus rem sit genitor, quicquid idem agat, abduxi malum maximum mecum; mulierem videlicet inter tria maximum malum nutrio atque in sanius consilium ex tripode tuo mihi depromas. Relicto Cratandro apud dominam cum domina victum mihi parabo, quod eo modo (ni me supputatio, sed ea non ita sollicite exacta fallat) satis eris habituri simus. Hic ego cogito tamen ista protinus ad aures parentum perventura; dicturos illos: cum scorto manet sub eodem tecto, manet dies et noctes, una vivit, ab ista non avellitur, quia deperit, doctorum virorum consuetudinem negligit, quia negligit studia, consumit se infamatque amore scorti, ducet generique Grebeliorum ignominiam

inuret, otio marcescit; excandescamus, non iuvenus nec opibus nec opera adsimus filio non filio, indigno denique, cui sic viventi vel ab hostibus bene fiat. Sic illi dicent, puto. At ego non merebor; at feram alacriter, crede mihi, si ita casurum sit quippiam. Purgarem tibi rationibus facta mea, nisi per nuncii abitum celeratiorem, quam velim, nisique per literarum peribilibium, ut ita dicam, fidem prohiberer. Utinam pernoscas, quam vix me contineam, mi anime Vadiane, ne omnem nostrę Veneris vitęque telam pertexam. Sed alias commodius tutiusque et auribus tuis et meo desiderio^{e)} obsequar. Ursinus tuam rescriptionem expectat. — Unum est, quod a te praestari velim officium, quo praestito totum hunc hominem servum tuum redditurus sis; est autem hoc: cupio rubeam ex serico, quod damast vocant, diploidem habere; cupio, ut tu sericum, quantum satis esse possit, ad hanc consuendam alicunde sumas ex aliquo, ut credat, ut huc mittas clam parentibus. Ego solvam anno proximo, nisi omnes bonę felicitates^{f)} misello mihi novercaturę sint. Si potes citra tuum periculum, si ita videtur, commoda te benevolum in hac re Grebeliolo; si non potes, si non videtur faciendum: ne velis posse, ne videatur faciendum; quia nolim nomine meo gravari aut ferre molestię quippiam Vadianum, a quo amari tantum me tam abiectum homulum (si saperem rectius) esse satis superque debebat. Sororem ex animo tuosque omnes salvos esse velim. Parocho non possum peius precari, quam mihi ipsi. Vale ter bene et feliciter. Ex Basilea, III Nonis Decembris, anno DDDXXI.

Conradus Grebelius tuus.

Nox prima hæc mihi suggessit, cum doming me unus lectus iunxisset:

O coelum, mare, terra, Ditis aula,
 Quę me me dominum modo vocabat,
 Servandum mage propriis ocellis,
 Mox servum monosyllabum imperatrix
 Perfecit, nuce venditura cassa
 Spretum, ridiculum, calamitosum,
 Quod nil est mage Punicum puellis.
 O coelum, mare, terra, Ditis aula.

Domino doctori Ioa chimo Vadiano, viro omnibus modis clarissimo et charissimo affini suo. Apud S. Gallum.

a) „e“ für „æ“. — b) „diudicari“. — c) „consydera“. — d) „historiam“. — e) „desyderio“. — f) „faelicitates“.

1) Vrgl. I, Register. — 2) Hor. Od. I, 1, 2.